

ro quoniam homines procliuiores ad facinora sunt, quam ad virtutes, a quibus facinoribus nullius auctoritate, ne deorum quidem immortalium maiestate deterrētur, quotidie variū tumultus atque Panici terrores in agris & ciuitatibus compescendi, sanandaque diuersorum scelerum pestes exoriuntur. Num credis paucos ad tuas opes & potentiam incūbentes imperandi libidine torqueri: ac dies & noctes anxie cogitare quemadmodum affectatam Tyrannidem animo gladiatorio arripere? In amplissima dignitate suspecta sunt omnia, timentur amici: familiaribus non confiditur: a liberis & vxore cauendum est, illa vitę cōditio miserrima est: vbi magis spei ad tutelam sui corporis in barbaris hominibus & canum fide reponitur, quam in ijs, quos genueris nedum tenuiore necessitudinis vinculo copulatis: ad hoc non opes tātum, sed ingenium & virtus cuiusque formidolosa sunt. Delatores quidem & susurriones omnes ad vnum & a caluo (vt dicitur) ad caluum cōmunis regum omnium ac regnorum pestis, totidem vomica rerum publicarum & carcinomata, primas atque postremas partes Tragediæ sibi deposcūt: his quoniam sunt aures & oculi principum, nulla ianua clauditur quo